



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

succurrendum, perpetuū vicariū, nisi de vicaria fecerit mentionem, commodum reportare non debet de hujusmodi litteris, utpote veritate tacita imperatris. Non enim carere beneficio ecclesiastico dici debet cui competenter de perpetua vicaria preventibus est provisum; & pro habente beneficij sufficientis subsidium ex certa scientia super obtinendo alio beneficio de levi non scribimus, quin faciamus de primo in nostris litteris mentionem. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani vi. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

E I D E M.

Epist. 166.
Sectio præ-
bendaria quo-
modo intelli-
gatur verita.
Cap. Vacante.
De præbendis.

VAcante quadam in Ecclesia tua præbenda, duas ex ea constitutens, ad illas de assensu Capituli tui duos Canonicos assumpsisti, quorum altero apud sedem apostolicam viam universæ carnis ingresso, præbendam quam defunctus habuerat, quidam clericus Hippolytus nomine fuit auctoritate sedis apostolicæ affsecutus. Verum cùm idem Hippolytus te super integratione præbenda per quasdam nostras litteras inquietet, & alius idem jus adversante se habere proponat, quid facere debebas postulasti per sedem apostolicam edoceri. Super quo fraternitati tua sic duximus respondendum, quòd cùm Turonensis statuta Concilij sectionem inhibeant præbendarum, teneris utique de his quæ vacare contigerit integrare præbendam, nisi forte rationabili causa de vacante præbenda prædictæ duæ fuerint constitutæ, ac tot sint utriusque proventus quòd per utramque sit utrique provisum in beneficio competenti. Tu denique frater Episcope super te &c. Datum ut suprà.

EBREDVNENSI, ARELATENSI,
Aquensi, & Narbonensi Archiepiscopis, &
eorum suffraganeis, & Abbatis, Prioribus,
Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccliarum Pralatis in Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi, & Narbonensi provinciis constitutis.

Epist. 167.
Eis commen-
dat Legatum.

EQuo rufo, de quo loquitur in Apocalypsi Iohannes, jamdudum in Provincia & convicinis partibus exeunte, qui super eum sedebat discordia seminator pacem sumpfit de terra, prout sibi datum fuerat exigentibus meritis habitantium in eadem, ut se ad invicem interficerent, & terra penitus vastaretur, & non solùm privata bona essent in direptionem & prædam, verum etiam ad sacra extenderent manus suas, ac Ecclesiae, quæ domus orationis esse debebant & refugium miserrorum, incastellarentur in castra, & fierent Sathanæ satellitibus munimentum. Huic autem pesti se niger equus adjunxit, vide licet hereticorum perversitas, qui quamvis multi sint numero, sunt tamen diabolus unus equus: quoniam etsi Samsonis vulpeculae significantes eosdem facies gerant diversas, caudas tamen habent ad invicem, quoniam in idipsum perversitatis conveniunt, colligatas, ut qui super eum sedebat hostis antiquus, bilibrem tritici laderet, eos scilicet qui alias verbo & exemplo reficiunt, ac tres bilibres hordei minores fidem sanctæ Trinitatis habentes, & etiam vinum & oleum, mansuetos pariter & austeros, quos omnes Christus uno denario, proprio videlicet sanguine, compararat. Verum cùm se nullus pro domo Domini opposuisset eidem, facta est fames in terra, & parvuli petierunt panem; sed qui eis frangeret, nullus erat, pastoribus in mercenarios commutatis. Luxit & defluxit & infirmata est terra pariter & infecta, depopulata est regio, luxit humus, quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, clanguit oleum, & agricultæ sunt confusi. Invaserunt enim gregem Domini lupi rapaces in vestimentis ovium venientes, & pastores, paucentes se ipsis, illos nec canum latratu nec baculo ab ovili dominico effigarunt, sed tamquam mercenarij, lupis dispergentibus oves, sunt in fugam conversi, qui debuerant accigi gladio super femur in ultionem illorum qui vitulum conflaverant adorandum. Nos igitur, quibus omnium sollicitudo imminet generalis, attendentes eos quos apostolica sedes in partem sollicitudinis evocavit, super gregem suum noctis vigilias non servare, sed dormitare potius ac dormire, utrique pesti volentes occurseré, ad partes illas pacis & fidei angelos curavimus destinare; ut alteros per exhortationis studium reducerent ad concordiam, & alteros per sanam doctrinam revocarent ad fidem, ac lædi triticum, hordeum, vinum, & oleum prohiberent. Sed quoniam in verbo Domini pugnando cum bestiis proficere non valebant, super montem caliginosum signum fecimus elevari, contra eos sanctificatus Domini & fortibus evocatis: qui fines ejus ingressi conculcaverunt superbiam Chaldaeorum, hereticis ex maxima parte destrutis, & ab illis partibus effugatis, virisque catholicis in locum succedentibus eorundem. Pacis quoque foedera inter eos qui